

lium hominum, infirmæ animæ et ignari populi, sacrilega dissentione dispereant. Itaque oportet (*Martinus I, cons. 2 conc. Later.*) vos improbis probe resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare perversos, liquet quod eorum protegatis errorem. Nec vero caret scrupulo societatis occultæ, qui manifeste (*al. manifestis*) facinoribus desinit obviare (*Felix III, in ep. ad Acacium*). Decet enim vos ad arguendam proterviam eorum linguam vestram exacuere, et velut venenosos a vobis repellere, ne eorum veneno vos vestrique in aliquo sauciemini. Igitur (*Idem Martinus*) sufficiunt nobis querimonie contra eos delatæ, quoniam derelinquet nos tempus, secundum quod ait Apostolus, si voluerimus omnium obloquentium oblatas contra eos producere querelas: maxime cum hæc nobis sufficiant quæ superius dicta sunt. Nec nobis necesse est iterum eorum divulgare mala, cum ipsa per se prodeant, et maxime omnes orientales testes super eorum malis existant. *In ore enim* (juxta quod scriptum est) *duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth. xviii*): quanto magis in multitudine tantorum sacerdotum et populorum, abbatum vel monachorum, in scripto et sine scripto contra horum pravitatem nos quotidie vox acclamantium? Nos vero diu expectavimus eos per multam patientiam, ut crearent uvas, sed illi e contrario fecerunt labruscas. Vos ergo non oportet de cætero negligere et differre tales, ne (quod absit) memoratis criminibus eorum submittamini (subdamini), irrationabiliter eos episcopos ponentes. Ipsi enim, nisi cito corrigantur, juxta quod beatus apostolus protestatur, *secundum duritiam eorum, et cor impenitens, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom. ii*). Qui corrigendi sunt, ne per temporalem delectationem (*S. Greg.*), et per mendacia atque ligmenta sua vobis assensum præbentibus, æterna perdant præmia, quæ per veram pœnitentiam consequi poterunt. Nec hæc, quæ prædicta sunt, solummodo Athanasio et sequacibus ejus irrogamus, sed etiam quod contra regulam egerit, quam nos decreveramus, quia non decreto communis concilii (*Trip. hist. iv, 9 et 16, x, 17, ex Socr. et Soz.*) episcoporum recepit sacerdotium, sed sibimet arrogando ecclesiam fuisset ingressus, et in sede resedisset, cum dudum (1) decretum fuisset, nullum a pauciore nu-

(1) Imo anno dumtaxat 341, conc. Antiocheni

*rescriptum Julii*. Hoc rescriptum Julii cum ea responsoria epistola, quam ab Athanasio recitatam, supra col. 883 ex pessimis, partim convenit, plurimum vero ab eadem differt. Cum utraque Eusebianos cum Athanasio ad concilium Romæ anno 340, indictum citatos esse referat: utraque etiam Athanasium ad statutum diem adfuisse, Eusebianos autem contumaciter remansisse, enarret; demum utraque epistola illius, quam ab ipsis post celebratam Antiochenam synodum scriptam, postque Gregorium Cappadocem anno Christi 342, magna et horrenda Alexandrinorum strage introductum, superbe, fastuose, et contentiose scriptam fuisse refert, meminere, et utramque

A mero restitui debere, quam depositum fuisse constaret. Deinde, quoniam ejus adventu sit turba generata, plurimique seditione sint mortui, et non solum hæc per eum et propter eum sunt peracta, sed etiam quidam jam a dicto Athanasio cæsi, iudicibus dicuntur esse contraditi. Hæc et alia innumera sunt ab eo suisque sequacibus impudenter perpetrata, quos excommunicatos, communioni (ut audivimus) contra regulam in contumeliam omnium orientalium sociastis. Præfato itaque debite salutationis (*Ep. Africanorum ad Cælestinum I papam*) officio propter beati Petri honorem impenso, postulamus, ut deinceps ad vestras hinc venientes aures non tam facile admittatis, neque a nobis excommunicatos ultra velitis excipere, ne canonum transgressores inveniamini, sed magis salva fraterna charitate, craturum hoc in posterum minime patiamini.

*Et subscriptio*: Orantem (*Ep. Tarracon, ad Hilaram papam*) pro nobis apostolatam vestrum Dominus ævo custodiat longiore, beatissime pater. Amen.

#### EPISTOLA II (1).

SIVE RESCRIPTUM JULII I CONTRA ORIENTALES, PRO  
ATHANASIO ET CÆTERIS.

(*Conc. t. ii, col. 483.*)

- I. *De vocatione orientalium episcoporum ad Julium, et restitutione damnatorum episcoporum ab ipsis.*
- II. *Ut episcopi accusati appellent sedem apostolicam.*
- III. *De eadem re.*
- IV. *Si quis putat se gravari a proprio metropolitano.*
- V. *De accusatoribus, vel accusationibus, quas sæculi leges non admittunt.*
- VI. *Ut nullus episcopus alterius parochiam retineat, vel ordinet, etc.*
- VII. *Si quis adversus episcopum, vel auctores Ecclesie negotium habuerit.*
- VIII. *De episcopis rebus suis expoliatis, vel a sede sua pulsis.*
- IX. *De accusatoribus et testibus.*
- X. *Si accusatus vel damnatus episcopus sedem apostolicam appellaverit, et de eis qui adversus Patres armantur, vel cum inimicis morantur.*
- XI. *De accusationibus clericorum.*
- XII. *Quæ metropoles primates vocentur.*
- XIII. *Qui sint infames.*

can. 12. Hoc hæreticorum esse decretum testatur Julius in epistola proxima.

(1) Falsa non secus ac præcedentes duæ.

#### NOTA SEVERINI BINII.

nam eandemque Julii epistolam esse oportet. Hanc mendosam, corruptam, et a quodam ex diversis compilatam (*al. imo pro libito confictam*): illam vero, quæ ex Athanasio desumpta infra subditur, germanum exemplar esse Juliani ad orientales episcopos rescripti, dubium non est. Hanc mendosam esse et corruptam, consulatus Feliciani et Maximiani, infra hic in fine additus, aperte demonstrat. Si enim prædictis consulibus scripta est, initio pontificatus Julii, anno Christi 337, scriptam fuisse necesse est, atque ita non subsistit quod de synodo Romana indicta, de Alexandrina seditione exorta commemorat.



- XIV. *De causis episcoporum.*  
 XV. *Ut non admittantur ad accusationem errantes, vel a proposito recedentes, sive canonibus inobedientes.*  
 XVI. *De peregrinis judiciis.*  
 XVII. *Ut nullus extra provinciam vocetur ad iudicium, vel si quis iudices suspectos habuerit.*  
 XVIII. *De se confessis, non esse credendum supra crimen alienum.*  
 XIX. *De incertis non judicandis.*  
 XX. *De criminationibus majorum natu.*  
 XXI. *De provinciali synodo retractanda a papa.*  
 XXII. *Si quis iudices majoris auctoritatis appellaverit.*  
 XXIII. *Ut metropolitanus nihil agat sine consilio episcoporum, nec illi sine ipsius; nisi quantum ad proprias pertinet parochias.*  
 XXIV. *Ne iudices in absentem proferant sententiam, et ut proditor non audiat.*  
 XXV. *De accusationibus clericorum.*  
 XXVI. *De episcopis accusatis.*  
 XXVII. *De injusta episcoporum damnatione.*  
 XXVIII. *Detractores et fautores inimicorum ab accusatione removendos, nec majorem a minore debere impeti, nec in re dubia certa judicari sententia, et de judiciis inordinatis.*  
 XXIX. *Si possit episcopus a pauciori numero episcoporum restitui, quam fuerat damnatus.*  
 XXX. *Si sit fugiendum episcopis causa persecutionis, et de privilegiis apostolicæ sedis.*  
 XXXI. *Quanta cautela judicare oporteat, nec damnandum quemquam, priusquam accusatores præsentibus habeat, locumque defendendi accipiat.*  
 XXXII. *Ultra provinciarum terminos accusandi licentia non progrediatur.*  
 XXXIII. *Qui non debeant admitti ad accusationem.*  
 XXXIV. *Nullum alterius iudicis, nisi sui sententia teneri, et quales debeant esse.*  
 XXXV. *De episcopis rebus suis expoliatis, vel a sede sua pulsatis.*  
 XXXVI. *Quod excommunicati episcopos non possunt accusare, nec illi qui eos in sua non recipiunt accusatione, nec majorem a minore posse damnari vel judicari.*

*Julius sanctæ Romanæ et apostolicæ ecclesiæ episcopus Eusebio, Theognio, Theodoro, Berintho (Leg. Theodoro Perinthio), et cæteris orientalibus episcopis. D*

Decuerat vos adversus sanctam romanam ecclesiam et apostolicam limare, et non ironice loqui (*Hist. Trip. III, 7*) quoniam et ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus ait: *Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum (Matth. XVI).* Habet enim potestatem, singulari privilegio sibi concessam, aperire et claudere januas regni cælestis, quibus voluerit. Nam si ei detrudere (quæ Domini ore sacrata atque desuper exaltata est) non renuistis (*al. timuistis*), nec mirum si fratribus injurias irrogare minime cessatis. Unde jam silentio non re-

Aguntur quæ vestro in concilio turbulenter (1) atque cum tempestate decreta sunt. Apparet enim quoniam tumultuosa quadam indisciplinatione veritas est oppressa: vobis quippe inconsiderantibus quæ placent Deo, propter jurgia quæ contra proximos vestros habetis, et vota nostra inevitabilia esse contenditis. Sed erit opus divinæ providentiæ, quatenus e contrario aperte deprehensa possint (*al. et hæc contentio aperte deprehensa possit*) evacuari, et quidquid illic convenientes, sine qualibet gratia, odio aut inimicitiarum causa gessistis, funditus repelli. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad hujus sanctæ sedis reverentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem per vos ipsos possitis ostendere. Nam nec dubitare vos credo Athanasium (2) sacræ legis doctorem non solum a nobis, sed etiam a Nicæna synodo veræ fidei cultorem esse comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili senes, qui Arii prostraverat blasphemias post quinque menses Nicæni concilii Alexandrinorum ecclesiæ suscepti præsulatum: adversus quem ejusque sectatores multa mendacia textentes, et mendas valde calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum eum causam et caput esse perhibuistis, et non solum apud Ægyptum, sed etiam apud Palæstinam et Phœnicen, vicinasque gentes, scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re ecclesiasticam sequentes regulam, vos et illos Romæ (3) regulariter ad iudicium die statuta, non sub Augusto temporis spatio (ut excusatio locum non inveniat) litteris et apocriphariis evocavimus: illique, vocatione suscepta, ad diem præstitutum venire, sed vos, ne vestris mendaciis caperemini, vestraque calumnia evadatur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oves pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Decuerat ergo, ut ad regularem veniretis convocationem, qualiter de his et de aliis vestris præsumptionibus veram redderetis rationem, quoniam occurreret veritas (*Cœl. ep. 1 ad Gallos*), si falsitas displiceret et nullus dubitat quod ita iudicium (*Bonif. ep. 2 ad Gallos*), nocens subterfugit, quemadmodum qui est innocens ut absolvatur requirit. Nec suspicione caret qui alium calumniis derogat falsa dixisse, cum ipse ad iudicium, ut probet quæ intulit, evocatus venire distulerit. Vellem enim vos magis ad jam dictam canonicam convenire vocationem, ut coram universali (4) concilio redderetis rationem, cur synodum ad statum ecclesiarum et fratrum in (*Trip. IV 9, et Socr. II, 8*) Anthiochia subvertendum, et Nicæni magni concilii destructionem fecistis, aut cur nobis

(1) *Hist. trip. III, 7*; ex Socrate et Soz., verba Constantini in ep. ad Concilium Tyrium.

(2) Eiusdem ex iisdem, IV, 2. Verba Constantini junioris Aug. ad Alexandrinos. Videnda quoque Theod. Hist. II, 2, et Athan., Apologia, 2.

(3) Theod. II, 3, interpretante Epiphano Cassiodoti amico.

(4) Fuerunt circ. 50 ex Ath. Apol. 2.



inconsultis episcopos in eam convocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio, canonibus quippe in (*Ejusdem* iv, 49) Nicæna synodo jubentibus, non debere præter sententiam Romani pontificis ullo modo concilia celebrari, nec episcopos damnari: aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penes nos aut apocrisarios nostros eorum causa canonice esset examinata, finemque perciperet rectum. Isti enim qui ad memoratam regulariter venerunt vocationem, videntes vos a prædictis subtrahere calumniis, multa adversus vos lacrymabilia et doloribus plena referunt, accusantes vos, et dicentes, multa se importabilia (intolerabilia) a vobis esse passos. Vobis ergo (1) refugientibus venire, illisque perseverantibus in vera ratione, suasque calumnias reclamantibus, super quibus et Ægyptiorum episcopi (*Trip.* iv, 49; et *Socr.* ii, 17) litteris nobis missis protestantur suis, falsa esse quæ contra Athanasium suosque sectatores machinantur, cunctaque Arianorum machinata (*fort.* machinamenta) blasphemias et talibus plena figmentis, liquet eos esse (*Trip.* iv, 15, ex *Soz.* iii, 7), inculpabiles vosque culpabiles: quia si de vera confideretis innocentia, nullo modo a jam dicta vos canonica subtraheretis evocatione, quæ non subito, sed spatiosè denunciata est: sed omni subducta apologia, absque tardatione venire, et causas reddere festinaretis. Quibus ita gestis, scripsi (*Trip.* iv, 9) vobis, et omnibus qui in Antiochiam contra apostolicam canonicamque regulam, nobis inconsultis, fueratis congregati, arguens vos primum de injuriis litterarum, deinde cur Athanasium suosque consecutores ad vestrum concilium convocassetis, canonibus scilicet præcipientibus, nihil extra Romanum decerni pontificem, cui hæc et majora ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quam ab omnibus universorum conciliorum fratribus, speciali (ut jam dictum est) privilegio contradita sunt. Vobis vero refugientibus, et, ad concilium toties convocatis, adeste nolentibus, illis quoque in sua reclamatione et justa ratione persistentibus, vestraque cognoscentes crimina, et illorum justam examinantes rationem, omnesque eos Nicæno concilio comperientes et nostris apostolicis jussionibus obtemperantes, visum est nobis ac universo concilio, ut nos divinis præceptis et apostolicis monitis (*S. Leo, ep. 4*) informati, qui pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, si quidquam reprehensioni usquam invenitur obnoxium celeri sollicitudine ab ignorantie imperitia aut a præsumptionis usurpatione revocemus.

## I.

His taliter consideratis atque discretis, tamquam (*Trip.* iv, 15) omnium curam gerentes, propter sedis propriæ dignitatem, suscepimus eos in communionem (2) singulisque cum suis, auctoritate hujus

(1) Julius in ep. quam S. Athanasius recitat apol. 2.

(2) Suppositios esse hos canones teste Contio vel id ostendit, quod nemo ne Gratianus quidem ipse eos allegare ausus est. . .

sanctæ sedi, rebus, proprias reddidimus ecclesiis, quoniam huic sanctæ sedi propter pravorum hominum insidias, ipso Domino instigante, et sanctis apostolis, eorumque successoribus per singula concilia roborantibus, hoc semper licuit, licebitque, Domino auxiliante, in perpetuum. Unde, qui se scit aliis esse (*S. Leo, ep. 84*) præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis et ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo (*Eadem Trip., ibid.*), quia non recte tractastis viros inculpato, et a nobis minime examinatos, de suis ecclesiis communiōne privatos pellentes, et ecclesiasticæ disciplinæ injuriam irrogantes constitutumque Nicæni concilii minime servantes, talia indiscipline agere non formidastis. Idcirco quoniam dudum venire vocati renuistis, modo ad certum diem, id est quinto decimo kalendas Novembris, vos iterum regulariter litteris missisque evocamus, ut coram vobis ostendamus nos justam in eos protulisse sententiam, et de cætero non talia esse passuros. Est etenim in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut aliena qui invadit, non exeat impunitus, sed eam multiplicatione restituat. Unde et in Evangelio scriptum est: *Quod si aliquid (Vulg. quid aliquem) de fraudavi, reddo quadruplum (Luc, xix)*. In lege quoque cautum est: *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicit omnis populus: Amen (Deut., xxvii)*.

Quare miror vos tam audaces esse, et tam impudenter egisse, et terminos ac jura beati Petri apostolorum principis invasisse. Sui enim (ut paulo superius comprobatum est) juris erat, ut absque ejus sanctæ sedis auctoritate, nullus deberet aut concilia (*Socr. et Soz. alias citati*) celebrare aut episcopos ad synodum convocare, vel damnare eos, aut propriis pellere sedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quæ omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo est aliud talis præsumptio, nisi quod apostolorum eorumque successorum decreta transgredi, et maledictionem superius comprehensam, in lege scilicet cautam, quam omnis populus uno ore consonaque responsione per *Amen*, id est, fiat, confirmavit, suscipere non timuistis? Nam (ut reor) talibus transgressionum funiculis constricti, nostrum, ne vestra proderentur flagitia, examen declinastis, et ad supradictam vocationem venire distulistis. Sane manifestum est suum eos confiteri (*Bonf., ep. 2*) crimen, qui toties evocati, absque inevitabili causa venire distulerunt, et purgandi se voluntate non utuntur. Nam si de vestris dictis confideretis, etiam in faciem (*Trip.* iv, 24, ex *Theod.*, ii, 8, referente *synodicam conc. Sard.*) probare non distulissetis. Tales insidiatōres spiritu prævidentes sancti Patres in Nicæa congregati, leges statuerunt (*Eadem* iv, 14, ex *Socr.* i, 22), quas nos canones appellamus, ne facile probi ab improbis damnarentur, ex quibus nonnullas sententias his inseri judicavimus, ut tantorum Patrum auctoritate nostra roboraretur epistola, atque omnes orientales, sive reliquarum partium episcopi hæc



audientes, in tantam foveam non incidant, ne damnationem a patribus decretam percipiant. Sequuntur enim hæc ex prædicto concilio Nicæno capitula, id est, 18, 19, 21, 23, 26, 27, 28, 35, 41, 45 et 47 et 49 (al. 48) ac 51, 52, 53, 54, 55, 57, 58, 59, 60, 61, 63, 66 (al. 67).

## II.

Ut omnes episcopi (2, qu. 6, *Omnes episcopi*) qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem (*Conc. Sard. c. 7*), atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) pie fulciantur, defendantur, et liberentur. Cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas, et episcoporum judicia, antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis papæ fieri placuerit.

## III.

Placuit (3 qu. 6, *Accusatus Conc.*), ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus licenter (*Sard., c. 4, 5 et 17*) appellet, et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio pontifex causam suam audit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quamquam a comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo, et non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis: et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cælis* (*Matth., xvi*).

## IV.

Si quis putaverit (2 qu. 6: *Si quis putaverit*) se a proprio metropolitano (*conc. Calch., 9 et 17; Hadr., col. 6, 18, 26*) gravari, apud primatem dioceseos, aut penes universalis apostolicæ ecclesiæ papam, judicetur.

## V.

Accusatores et accusationes (3 qu. 5: *Accusatores*), quas leges sæculi non adiciunt (*Hadr., II ex c. 2 conc. vii Carth.*), et nos unanimiter submovemus. Nec fiat in districta probatione impietas, cum recta sit iudicii in electione sententia (*Ennodius, ep. 18, lib. 1*).

## VI.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus episcopi voluntate, vel judicare (*Hadr. 16*), salva tamen in omnibus apostolica auctoritate: quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita et dijudicatio: quoniam censemus nullum (*Anianus, in const. unicam tit. 16, lib. iv cod. Theod.*) alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.

## VII.

Si quis erga episcopum (2, qu. 7: *Si quis erga, et in decret. Alex. pap.*), vel actores ecclesiæ, se proprium habere crediderit negotium, non prius adeat iudices, quam ad eos recurrat charitatis studio (*Hadr. II, ex c. 17 conc. v Aurel.*), ut familiari colloquio commoniti, ea sanare debeant quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communione privetur.

## VIII.

Nemo (2, q. 2: *Nullus potest convocari*) pontificem deinceps aliquem episcopum suis expoliatis rebus, aut a sede pulsum, excommunicare aut judicare præsumat; quia non est privilegium quo possit spoliari jam nudatus (*Ex syn. v Rom., sub Symmacho*).

## IX.

Pari tenore decernimus, non credi accusatori (*Anianus in const. ix, et xiii, tit. 39, lib. xi, cod. Theod.*), qui absente adversario causam suggerit ante utriusque partis discussionem. Nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei.

## X.

Placuit (6, qu. 1: *Sacer. qui*), ut si accusatus vel damnatus episcopus appellaverit Romanum pontificem (*Hadr., 21, ex c. 7 Sardicensi*), id statuendum, quod ipse juste censuerit. Et omnes qui adversus (*Ex Proclo ad Domnum*) patres armantur, infames esse censemus: neque eos, qui cum inimicis morantur (*sent. 1 tit. 15 libri v Pauli*), ad accusationem vel ad testimonium recipiendos.

## XI.

Placuit, ut semper in accusatione clericorum, primo persona, fides, vita et conversatio blasphemantium perscrutetur (*Hadr., 4*). Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est (*Sixti sent. 5 et 156*). Nec eis omnino est credendum, quia veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt: quoniam tales et facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda, neque accusatoribus suspectis, et de inimicorum (*sent. 1 tit. 15 lib. v ejusdem Pauli*) domo prodeuntibus est credendum.

## XII.

Quod non aliæ metropolitanæ ecclesiæ, vel primates sint, nisi illæ, quæ prius primates erant, et post Christi adventum, auctoritate apostolica et synodali primatum habere meruerunt. Reliquæ vero non primates, sed metropoles vocentur, eorumque episcopi, non primatum (*Hadr., 23*), sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruantur.

## XIII.

Infames esse censemus omnes, qui suam aut christianam prævaricantur legem, aut canonicam postponunt auctoritatem.

## XIV.

Salvo in omnibus Romanæ ecclesiæ privilegio,



nullus (*Hadr.*, 34, *ex can.* 55 *Apost.*, *interprete Dionysio Exiguo*) metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irritæ erunt, imo et causam in synodo pro facto dabit.

## XV.

Alienis erroribus (3, *qu.* 4 : *Alienis erroribus*) sociatum, vel a sui propositi tramite recedentem, aut sacris canonibus inobedientem, suscipere non possumus, nec impetere recte credentes, vel sanctorum Patrum sanctionibus obtemperantes, permittimus.

## XVI.

Peregrina judicia (3, *q.* 7 : *Peregrina judicia*) generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ut ab exteris judicentur, qui comprovinciales et a se electos (*Hadr.*, 47, *ex cod. Theod.*) debent habere iudices.

## XVII.

Salva apostolicæ Ecclesiæ auctoritate (*Hadr.*, 48), nullus episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur: sed evocatus (*fort.* vocato eo) ipse canonicè, in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam; quoniam si hoc minoribus, tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari convenit? Nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infensos senserit, apud primates dioceseos, aut apud Romanæ sedis pontifices iudicetur.

## XVIII.

Nemini (45, *qu.* 3, *Nemini*) de se confesso credi potest super crimen alienum (*Ennodius*, *ep.* 4, *lib.* 1), quoniam ejus atque omnis rei confessio periculosa est (*Hadr.* 64, *ex Aniano. In decr. Sixti papæ* 2), et admitti adversus quemlibet non debet.

## XIX.

Incerta nemo unquam pontificum iudicare præsumat, quia quamvis vera sint (*Isid.* II, *syn.* 16), non tamen credenda, nisi quæ manifestis indicis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio convincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur.

## XX.

Criminationes majorum (2, *qu.* 7, *Criminationes*) natu per alios ne fiant nisi per ipsos qui crimina intendunt (*Conc.* II *Carth.* c. 6), si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis publicis docuerint, omni se carere suspicione (*Conc.* I *Arelatens.* c. 43), atque inimicitia, et irreprehensibilem fidem atque conversationem ducere.

## XXI.

Et provincialis (*Hadr.* 59) synodus retractetur per vicarios urbis Romæ episcopi, si ipse decreverit.

## XXII.

Placuit, ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos (ubi est auctoritas major) fuerit provocatum, audientia non negetur (*Et in concil. Carth.* III, *cap.* 10, 2, *q.* 6, *Placuit, ut a quibuscumque*).

## XXIII.

Si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum, aliquid agere tentaverit (*Hadr.* 45, *ex can. apost.* 55), gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit irritum habeatur et vacuum. Sed quidquid de comprovincialium episcoporum causis, suarumque ecclesiarum et clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordæ administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX). Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Marc.* X), et reliqua. Similiter et ipsi comprovinciales (*Antioch.* 9, *Ephes. act.* 6, *Calch. c.* 42) episcopi, cum ejus consilio (nisi quantum ad proprias pertinet parochias) agant, juxta sanctorum constituta Patrum, ut uno ore, uno animo concorditer sancta glorificetur trinitas in sæcula.

## XXIV.

Caveant iudices Ecclesiæ (3, *q.* 9, *Caveant iudices*), ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant (*Hadr.* 49, *ex conc.* IV *Carth.* c. 10), quia irrita erit; quippe et rationem pro actione reddent in synodo, et, ut proditoris calumnia, nec eorum postea vox (*ex Aniano et cod. Theod.*) audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille, qui injuriam ejusque sustinet nequitiam.

## XXV.

Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit (3, *qu.* 6, *Si quis cler.*), in provincia, in qua ille consistit (*Hadr.* 8) qui pulsatur, suas exerceat actiones. Nec æstimet eum accusator suis alibi, aut longius pertrahendum ad iudicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat appellare.

## XXVI.

Primates accusatum discentes episcopum non ante sententiam proferant (*Hadr.* 55) damnationis, quam apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonicè examinatos regulariter testes convincatur.

## XXVII.

Irritam (3, *q.* 6, *Irritam*) esse injustam episcoporum damnationem decernimus (*censemus*), et idcirco a synodo retractandam (*Hadr.* 54), ita ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

## XXVIII.

Detractores (3, *q.* 4, *Detractores quoque*; 2, *q.* 7, *Majorum quispiam*) qui divina auctoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum, ab episcopali submovemus accusatione. Similiter, ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut disperat; neque in re dubia detur sententia (*S. Greg. ep.* 50, *lib.* VIII, et 52, *lib.* XI), nec ullum iudicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur.



## XXIX.

Plura de his ideo hic non inserimus (*vide Hincmar, lib. LV, c. 20*), ne vacuare vilenive prædictam facere synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibusque proluxa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostræ ecclesiæ sedis scrinio et ea quæ prædiximus invenire poterit. Verum me (*Ennod, lib. 1, ep. 20*) dixisse testis est divinitas. De receptione vero sedis, et sacerdotii, atque honoris, quæ dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis: sed quorundam episcoporum consilio atque decreto recepit suum quod injuste perdidit sacerdotium, ac resedit in sede (*Trip. x, 17, ex Socr., Soz., etc.*). Quod enim scripsistis, non eum posse a pauciore numero episcoporum restitui, quam depositus fuerat, non ita est; nec hæc regula orthodoxorum sanctæ ecclesiæ est episcoporum; sed Arianorum, sociorum videlicet vestrorum, hæc adinventio ad perditionem orthodoxorum episcoporum contexta est. Nam, ut nobis a veracibus est testibus relatum, quando Antiochiæ pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis congregati, odio prædicti Athanasii hanc regulam protulistis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit; quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romanæ ecclesiæ legatio interfuit, canonibus præcipientibus sine ejus auctoritate concilia fieri non debere (*Trip. IV, 9 et 19*). Nec ullum ratum est aut erit unquam concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate.

## XXX.

Igitur de fuga, super qua Athanasium (1) reprehenditis, non bene (*al. recte*), agitis cum ipse Dominus mandatum hoc nobis dederit. *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam (Matth. x)*. Et ipse Dominus, per semetipsum exemplum nobis demonstrans (*al. demonstravit*), quando Pharisæi concilium fecerunt adversus eum, ut eum occiderent: *Sciens autem Jesus, discessit inde (Matth. xii)*. Et alibi: *Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo (Joan. viii)*. *Et transiens per medium eorum, abiit, et ita discessit (Luc. iv)*. Nam et discipuli propter metum Judæorum recesserunt, celantes semetipsos. Et Paulus (*II Cor. xi*) in Damasco a principe gentis quæsitus, de muro in sporta depositus est, et manus quærentis effugit. Et alii quamplurimi et innumerabiles sancti, tam in Veteri Testamento, quam in Novo, fugisse leguntur. Si ergo fugam improperatis fugientibus, erubescite potius persequi, et quiescite insidiari, quiescentque continuo fugientes. Nam sive perimatis eos, mors semper contra vos exclamat: sive rursus exilia superponatis, ubique in vos mali memoriam destinare noscimini, et illi patiendo sibi proficiunt. Unde et Dominus ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus,*

(1) Fugit anno dumtaxat 342, a Gregorio pulsus. Vide ejus apol. 2. et Trip. vi, 22.

*A animam autem non possunt occidere. Sed potius metu timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Matth. x)*. Multos enim cognovimus pessimis machinationibus injuste depositos: ideo summopere a me (*al. mihi*), cui vice apostolorum principis universalis Ecclesiæ cura commissa est, providendum est, auxiliante ipso summo apostolo, ne deinceps talia fiant: quoniam ideo huic sanctæ sedi (2, qu. 6, *Ideo huic sanctæ sedi*) præfata privilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis conciliis et judiciis ac restitutionibus episcoporum, quam et de summis ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium, et injuste damnati restitutionem sumant, et talia (*concil. Rom. in, sub Synmacho*) ab improbis ne præsumantur absque ultione, nec exercentur absque (*al. sua*) damnatione. Non ergo recte egistis, quod prædictos fratres calumniati estis, dicente Domino: *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum (Levit. xix)*. Nec recte egistis, quod nobis inconsultis concilium celebrastis, eosque ad concilium vocastis, et damnare præsumpsistis, canonibus (ut præmissum est) jubentibus (*Trip. IV, 9*) nihil ex his absque hujus sanctæ sedis auctoritate fieri debere. Non recte egistis quod regulariter a nobis ad concilium vocati venire distulistis. Non recte egistis quod contra eos rationem reddere, ut vestra erga eos aut probaretur recta sententia aut improbareretur, non venistis, nec rationalem mandastis causam, ut quid hæc renuistis.

His ergo omnibus perpensis, manifestum est vos reos existere, et illos innocentes remanere: et vos recte excommunicatos, illosque joste liberari. Noluit itaque Dominus tam leviter suos tractari ministros, sicut facitis; aut a vobis damnari, sed (sicut memoratum est) aut ab hac sancta sede, cui commissi sunt, aut suo reservari judicio. Ait enim: *Qui vos contristabit, me contristabit (Luc. x)*. *Qui fecerit injuriam vobis, recipiet id quod inique gessit (Coloss. iii)*. Et quanta pœna expectet eos qui Domini scandalizant discipulos, Evangelium sufficienter exponit, ubi de scandalizantibus discipulos loquitur. Nam quod a vobis non sint damnandi, sed aut ab hac sancta (ut præfatum est) sede, aut sibi reservandi, ipse manifeste dat exemplum, quando peccantes sacerdotes, quorum locum modo in sancta ecclesia tenent episcopi, non per alium, sed *per semetipsum vendentes et ementes ejecit de templo, et mensas nummulariorum proprio evertit flagello, et ejecit de templo (Matth. xxi; Marc. ii; Luc. xix; Joan. ii)*. Et ipse alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit (Psal. lxxxii)*, et reliqua talia et his similia. Et alibi idem ipse ait: *Nolite judicare, ut non judicemini, nolite condemnare, ut non condemnemini (Matth. vii)*. *In quo enim judicio judicaveritis judicabimini (Luc. vi)*.

## XXXI.

Quapropter (30, qu. 5, *Jud. opus: et in decret. Eleutherii*) non tam temere (ut vos facitis) quispiam suam præsumat evomere iniquitatem, sed judicantem



cuncta oportet (1) rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec de illis, quæ ei inconcessa sunt, ullo modo iudicium præsumere interrogandi ac proponendi adjiciendique, patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec prius litigantibus (al. prius iudex) sua velit sententia obviare, nisi quando illi, peractis omnibus, jam nihil amplius habuerint in quaestione quod proponant. Nec oportet quemquam judicari aut damnari, antequam suos accusatores præsentis habeat, locumque defendi accipiat spatiosum ad abluenda crimina (*Hadr. xx*).

## XXXII.

Similiter in jam facta synodo statutum est (2, q. 6, *Ultra provinciarum*), ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia non (*Hadr. x, ex cod. Theod.*) progrediatur, nisi ad hanc apostolicam fuerit sedem provocatum, ad quam omnes qui voluerint libere, et absque ullo impedimento a quibusdam agendo, confluere debent.

## XXXIII.

Similiter in jam (3, qu. 5, *Similiter in præfata*) præfixa (al. præfata) synodo est decretum, ne suspecti, aut infames (*Hadr. xv*), aut criminosi, aut gratiosi (2), vel calumniatores, vel affines, aut facile litigantes suspiciantur accusatores, sed tales, qui omni careant suspicione, quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, nec a quibuscumque agitari.

## XXXIV.

Similiter statuit præfata synodus, ut nullum sententia, nisi a suo iudice dicta, constringat. Iudices autem alii (1, *quæst. 1, Iudices autem alii*) esse non debent, quam quos ipse qui impetitur elegerit (5), aut quos suo cum consensu hæc sancta sedes, aut ejus primates auctoritate hujus sanctæ sedis delegaverint. Ex his enim et aliis quæ tam in hac sancta sede quam et ab apostolis eorumque successoribus sunt statuta, nihil præfatis episcopis concessistis, sed vim eis inferentes, injusteque (ut superius commemoratum est) eos damnantes, aliquos absentes expulsi, quod omni christianæ religioni est inimicum. In quibus apparet, quod nec Domino sua servastis jura, nec huic sanctæ matri et apostolicæ Ecclesiæ, quæ (ut præscriptum est) eos suo iudicio, aut huic sedis voluit reservari, ne a tam pravis (sicut estis) hominibus damnarentur aut ejicerentur, in his omnibus vos stultos et prævaricatores Evangeliorum et canonum esse, nulli sane sapientum est absconditum.

## XXXV.

Nec his contenti in vestra estis prævaricatione (2, q. 2, *Nullus potest convocari*), sed etiam, quod prius expulsos eos, et suis expoliatis rebus, quasi vocastis atque damnastis, cum nullus regulariter aut vocari aut judicari possit, antequam sit regulariter restitutus, et

(1) *Hadr. 24 papæ, ex Const. 1, tit. 18, l. 11 cod. Theod. cum interpr. Aniani. In decret. Ivo lib. iv.*

(2) *Id est, adulatores, ut exponit glossa in præfata capite.*

(3) *Hadr. 57, ex cod. Theod. lib. iv, tit. 46, const. 2, apud Greg. ep. 56 libri xi.*

sua omnia ei legibus (*conc. Rom. in, sub Symmacho*) sicut integerrime reformata. Est namque in sæpe jam dicta sancta synodo ab omnibus unanimiter decretum et apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum (2, qu. 2, *Si episcopus suis fuerit; et in decr. Eusebii papæ sententialiter*) suis fuerit rebus expoliatus, et in accusatione pulsatus, ordinatione pontificum oportet et decet sanctum propositum prima fronte cedere, ut omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primo potestati ejus ab honorabili concilio redintegrentur, et præsul regulariter prius statui pristino reddatur, et ipse, dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad causam, et si ita juste (al. justum) videtur, accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos Patrum, judicantes et damnantes eos quos non debuistis? Quare judicastis eos quos non regulariter approbastis? Non observastis (*Anast. II papa, in ep. ad Anast. Aug., c. 2*) quod in Regnorum libro scriptum est: *Non, quomodo videt homo, videt Deus: quia homo videt in facie, Deus autem in corde videt* (1 *Reg. xvi*). Et in Paralipomenon: *Omnia corda scrutatur Deus, et omnem cogitationem novit* (II *Par. xxviii*). Et alibi scriptum est: *Non potest humano condemnari examine quem Deus suo reservavit iudicio* (*Hadr. c. 55*). Hæc omnia summopere præcavenda sunt, nec accusatio episcoporum facile recipienda, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii* (*Exod. xxiii*). Et Apostolus inquit: *Adversus presbyterum inscriptionem non recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus* (1 *Timoth. v*). Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcavenda, quanto magis de episcopis? Quibus cognitis, magis (*S. Leo, ep. 84, c. 1*) vos dominari velle manifestum est, quam consulere fratribus, aut sustentare eos, quia honor inflat ad superbiam: et quod provizum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque vos juxta præfatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis, et expectare quid ad vestra consulta rescriberemus, intantum ut, si etiam quidquam grave intolerandumque committerent, nostra præstolaretur censura. Et nihil prius aut aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognovissetis, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione recederetis. Cesset (*Bonifacius, ep. 5*) hujusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio, vitentur hujusmodi nocumenta; quia nequaquam talia patienter ferre possunt machinamenta quoniam convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Merito (*S. Cælest., ep. 1*) namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.

## XXXVI.

Est insuper in prædicta sancta Nicæna synodo (1, qu. 7, *In sancta Nicæna*) statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiatur accusatione: nec illi qui nos in sua nolunt recipere querela vel accusatione, cum nos super illos sciamus a Domino constitutos, non illos super nos. Et sicut (*Gelas. de vinculo anathema-*



tis) major non potest a minori judicari, ita nec colligari: quia rarum (*Zos. cap. 1, ep. 1*) est omne, quod magnum est. Portamus onera omnium (*Siricius ep. 1*) qui gravantur, quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, cujus vice fungimur legatione, et cujus regula informamur, quatenus ejus

A fulti auxilio ab omnibus nunc et in perpetuum tuamur adversis. Data Kalendis Novembris, Feliciano et (1) Maximiano viris clarissimis consulibus.

(1) Titiano corrigendum ad eoque anno 237, unde patet dolus fabricatoris.

ANNO DOMINI CCCLXII—CCCLXXII.

## C. F. MARIUS VICTORINUS

ET

## CANDIDUS ARIANUS.

(*Galland. Bibl. p. vii-ix; 133, 199; Maii Coll. t. iii, part. ii, p. 1-163.*)

### PROLEGOMENA.

#### NOTITIA

##### DE VICTORINO AFRO.

I. C. Fabius Marius Victorinus V. C. natione Afer, teste sancto Hieronymo (1), Romæ sub Constantio principe rhetoricam docuit, et in extrema senectute Christi fidem suscepit: quod quidem haud diu ante annum ccclxii, quo Julianus apostata rerum potiebatur, contigisse videtur. Sanctus enim Augustinus Deum alloquens, de Victorino hæc habet (2): « Imperatoris Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam: quam legem ille (Victorinus) amplexus, loquacem scholarum deserere maluit, quam verbum tum quo linguas infantium facis disertas. » Magna porro eloquentiæ laude ac disciplinarum studio ipsum adeo claruisse, ut statuam in foro Trajani meruerit, testatur Doctor maximus (3). Qua de re Deum iterum alloquentem Augustinum audire præstat (4): « Ille, inquit, doctissimus senex, et omnium doctrinarum liberalium peritissimus, quippe philosophorum tam multa legerat et dijudicaverat et dilucidaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterii statuam in Romano foro meraerat et acceperat, usque ad illam ætatem venerator idolorum... non erubuit esse puer Christi tui, et infans fontis tui, subiecto collo ad humilitatis jugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium. » Nonnullisque interjectis ista subdit sanctus Doctor: *Legebatur sanctam scripturam, omnesque christianas litteras investigabat studiosissime et perscrutabatur.* Qua demum sacra subactus lectione Christo nomen dedit: ut propterea mitius accipienda videantur ea sancti Hieronymi verba, quibus ait (5) quod Victorinus occupatus eruditione sæcularium litterarum, scripturas omnino sanctas ignoraverit.

II. Quamdiu vero post fidem susceptam circa an-

(1) *Hieron. lib. de Vir. illustr. cap. 101.*

(2) *Aug. Confess. lib. viii, cap. 5, n° 10.*

(3) *Hieron. in Chron. ad ann. 2370.*

(4) *Aug. l. c. cap. 2, num. 3 et 4.*

(5) *Hieron. præfat. ad comment. in Epist. ad Gal.*

B num Christi ccclx, aut ccclxi superstes fuerit tantus vir, non est adeo exploratum, ut quidquam certi statui possit. Verum si attendantur ejus litterarum monumenta quæ superant, cum contra Manichæos tum adversus Arianos exarata, nec non commentarios in Apostolum quos memorat et legit sanctus Hieronymus (1), quosque etiamnum delitescere mss. in Herivallensi codice testatur Sirmondus (2): hinc demum jure colligas, Victorinum, senem licet ad Christum conversum, neque vires neque ingenium defecisse, adeoque post annum ccclx, aut insequentem diutius adhuc in vita fuisse, quo christianis dogmatis addiscendis sedulo incumbens, pro fide ac religione tot ac tanta perscriberet. In hanc autem sententiam eo in primis adducor, quod idem sanctus Hieronymus apologiam contexens pro suis libris adversus Jovinianum quam Pammachio inscripsit, hæc habet: *Si id ipsum virgo putatur et nupta, cur piaculum vocis hujus Romæ Victorinus audire non potuit? Haud equidem ignoro, locum istum Hieronymianum fuisse primum a Martiano immutatum (3), qui omissa Victorini nomine, ita rescripsit: Roma audire non potuit? Neque aliter Vallarsius, editorem Benedictinum deinceps secutus (4). Editi tamen priores, Erasmi præcæteris (5) et Mariani Victorii (6), quibus adstipulantur mss. non pauci, lectionem constanter exhibent quæ Victorini nomen retinet, nobis modo prolata: ut proinde non temere rejicienda videatur. Hac itaque vetere lectione semel admissa et mss. auctoritate firmata, in vivis adhuc egerit Victorinus anno ccclxxxii. Constat namque inter eruditos, Jovinianum hæreticum quem Hieronymus eo loci per-*

(1) *Hieron. ll. cc.*

(2) *Sirm. opp. tom. 1, pag. 345, § 5.*

(3) *Martian. edit. Hieron. opp. tom. iv, epist. xxx, pag. 229.*

(4) *Vallars. Hieron. opp. tom. 1, epist. xlviii, pag. 210.*

(5) *Erasm. Hieron. opp. tom. ii, epist. l, p. 101, a.*

(6) *Mar. Vict. Hieron. opp. tom. ii, epist. l, pag. 388, b.*